
VERA NARRATIO
ANONIZATIONIS
NCTI DIDACI COMPLVTEN-
SIS ORDINIS S. FRANCISCI
DE OBSERVANTIA,

um cum maxima sollemnitate celebrauit S.D.N.
Pont. Max. Sixtus, eius nominis Quintus.

iuncta oratione narratoria, ab Illmo & Rmo D. Car-
ale Marco Antonio Colonna de eadem, coram Pon-
ce summo, habita in Conuentu publico 11 Calend.
lij 1588.

exa etiam oratione Pompeij Arigonis Consistorialis Re-
isque Catholici aduocati, in publico quoque Consistorio
abita, 7. Cal. Iulij eiusdem anni; cum oratione responso-
a Antonij Boccapadulæ, qui tum Pontifici erat à secretis.





LOVANII,

Romano exemplari excudebat Ioannes
Masius, Typog. Iuratus. 1588.

Iussu & authoritate Superiorum.



VERA N

nizationis S

Ordinis

R

agnoſcit. Veru
reputat, quam
vitæ ſanctitate
ſe illuſtratam ad
tutis genere, in
exercitati, tanta
honoris gradus
na eccleſia ad ſu
tint, diuorumq́;
ſtiano in exemp
meruerint, fidi
ad eorum præſid
fugiunt.

In quorum nu
rioſus Confeſſo
ducæq́; vitæ cur
iam plurimis iisd
tis non leuibus i
mortem miracu
tens & edidit ſæp
infrequẽter ad e

ERA NARRATIO CANO-
nizationis Sancti DIDACI *Complutensis,*
Ordinis S. Francisci de Obseruantia.

PLVRIMIS maximisq; beneficiis, bene fortunatam omnique gloria abundantem Hispaniam, Dei benignitas cumulatissimè semper affecit. Quo quidem nomine plurimum quoq; se Deo debere, libens oscit. Verum nulla pluris facit, nulla ampliora utat, quam quod omni penè ætate, viris eximia e sanctitate fulgentibus, à diuina misericordia lustratam aduertit: qui in ea nati, ac in omni virs genere, in sanctæ inculpatæque vitæ ratione, rcitati, tantam gratiam, tamque sublimes veri oris gradus sunt adepti; vt in catholica Roma- ecclesia ad supremæ dignitatis apicem ascende-, diuorumq; cathalogo asscribi, & populo Chrino in exemplum, quod sedulo imitetur, proponi uerint, fidi apud Deum intercessores; quoties eorum præsidium piè humiliterq; homines coniunt.

n quorum numero ac felici cœtu sanctus ac glous Confessor F. Didacus fulget: qui mortalis caæq; vitæ curriculo piè religioseq; peracto, cùm plurimis iisque illustribus (singularis sanctitaon leuibus indiciis) tum in vita, tum etiam post tem miraculis claruisset, quæ Deus omnipo- & edidit sæpius, & hac quoque tempestate non equēter ad eius intercessionem edere dignatur:

eumq; Sanctissimo D.N. Sixto eius nominis quinto plenè legitiméque constitisset in beato illo veréque sancto viro omnia concurrere, quæ ad eius canonizationem, summa cum sollemnitate, pro veteri ac recepto ecclesiæ more, celebrandam requirebantur: in cæterorum diuorũ numerum eum referre, qui optatissimo Dei conspectu iugiter in cælo perfruuntur, non detrectauit. Quod quemadmodum successerit; iis primum, quæ de vita ac morte eius præmittenda sunt, explicatis; breui perspicuoq; orationis filo explanabitur.

Beatus itaque Didacus ex pago quodam Hispalensis diœcesis, vulgara voce (castellum S. Nicolai) appellato, qui inter Cõstantinam & Gazzallam medius est, humilibus quidẽ sed Christianis, piis, maturæq; ætatis parentibus ortus (vti generosam illam arborem decebat quæ ex tali stirpe proditura erat, vt suauissimis copiosissimisq; sanctissimæ vitæ fructibus in Dei Ecclesia abundaret) cùm ad eã vitæ partem prouectus esset, quæ pleno solidoq; rationis vsu viget: Diui Hilarionis exemplo, mundanis negocijs occupationibusque valedicens, non procul à natali solo, cum inculpatæ vitæ presbytero vitam eremiticam aliquãdiu exercuit. in qua bonitatis, integritatis, virtutumque aliarum luculenta indicia præbuit, ac admirandæ perfectionis subsecutæ fundamenta iecit. mox solitudine relicta, feruenti accensus desiderio vt Seraphici Patris Diui Francisci vestigiis insisteret, religionis illius ac ordinis sumpto habitu, in monasterio Arizzafat Hispanica voce nominato, nõ procul à ciuitate Corduba, monasticæ vitæ professionem edidit; & in dura paupertate, simplici humilitate,

litate promptaque obedientia & pura castitate perseuerauit. tandē in orationibus assiduis, rigida abstinentia, & omni virtutis genere mirificè exercitatus, cum martyrij desiderio pro Christi amore fortiter sustinendi ad insulas fortunatas (Canarias vulgus appellat) iter direxit: vbi numerosam infidelium turbam ad euangelicæ veritatis lucē pertraxit. quod cum pro voto successisset: diuinæ voluntatis instinctum secutus in Hispaniam reuersus est.

Anno à Christo nato 1 4 5 0, qui Iubilæus erat, Romam venit, eo ferè tempore quo F. Bernardinus Senensis diuorum consortio fuerat adscriptus. inde in Hispaniam iterum reuersus in monasterio, in honorem Beatæ Virginis de Saliceto in Castellæ prouincia erecto, aliquamdiu commoratus, ad cœnobium quoddam Complutum se recepit. quo in loco sanctissimis semper operibus inter cæteros conspicuus reliquum vitæ cursum peregit.

Quo feliciter absoluto, cum prouectæ iam ætatis esset, & ex mūdi carcere ad cælestis vitæ libertatem eum reuocare bonorū omnium remuneratori Deo placuisset, vt plenam ei pro piè religioséque factis, mercedem cumulatissimè persolueret: pridie idus Nouembris, anno redemptionis humanæ 1 4 6 3. Compluti, ex hac mortali vita, æterna fruiturus, excessit.

Ex corpore defuncti suauissimus odor ascēdit: qui ad multos menses grata fragrantia locum omnē, vbi animam efflauerat, impleuit; quique hodie etiam, præsertim quando singulare aliquod miraculum edit, sæpè percipitur.

Eodem anno 1 4 6 3, Rex catholicus Henricus

Castellæ eius nominis quartus, cum S. Didaci visendi causa Complutum venisset, corpus eius ferreo tymbo includi ac in sacello quodam reponi iussit, in quo ad annum vsque 1562. conquieuit. Tú enim ad serenissimum Hispaniæ Principem Carolum (vti mox dicetur) delatum fuit, ita plane integrũ & incorruptum, ac si eodem die terræ conditum fuisset.

Quoniam autem laicus erat & idiota, nullis omnino litteris imbutus, ad Sacerdotalem dignitatem promotus non fuit: quamquam tamen (quod admiratione dignum est cum nullam vnquam operá litteris nauasset) quoties de rebus grauibus ac serijs sermo incidebat, tam solidè de ijs disserebat; atque si in sublimioribus scientijs, & pręsertim in Theologica facultate, multam ac sedulam operá posuisset.

Dum adhuc inter viuos ageret, ac posteaquam è vita excessisit, per-illustria ac penè infinita miracula, in plurimis diuersis infirmitatibus laborantibus, per diui huius suffragia omnipotens Deus & edidit sæpe, & hodie etiam non raro edit: quod certe argumentum est euidentissimum S. Didacum in supernis illis ac beatis sedibus felicissimo Dei aspectu perfui.

Porrò inter plurima quibus claruit miracula, illud postremum minimè videri debet: cùm Carolus Hispaniarum tum temporis Princeps, anno instauratæ salutis 1562 Compluti letali morbo correptus, & ad medicorum desperationem ex vulnere in capite accepto grauissimè laborans, extremo tentato refugio ad S. Didaci corporis præsentiam confugisset: minimo temporis interuallo diui suffragijs pristinæ sanitati restitutus fuit.

Quo

Quo miraculo Philippus Rex catholicus & Princeps filius excitati, in grati animi significationem, pro tam singulari beneficio diui intercesſione obtento, litteris pridie Calend. Martij anno reparatæ ſalutis 1563 perſcriptis, Pium Quartum Pontificem maximum geſtæ rei certiorem fecerunt; ſuppliciter contendentes, vt ad Dei ſanctique gloriam, in diuorum numerum eum referre ſanctitas ſua dignaretur.

Quod vt facilius citiusque impetrarent, ampliſſimo viro D. Ludouico Requeſentio, Caſtellæ equiti ſupremo, regio in vrbe oratori, in mandatis dedit, vt iuſtiſsimas prægnantiſsimasque cauſas, quæ ad canonizationem plurimæ & grauiſsimæ concurrebant, coram Pontifice ſummo exponeret: præſertim cum integritas vitæ, quam ſanctiſsimè inculpatiſſimeque peregerat, & miraculorum multitudo, quibus tum in vita tum etiam poſtquam ad beatas ſedes emigraſſet & claruerat ſæpe, & hoc etiã tempore frequenter claret: manifeſtam adeo ac indubitatam ſanctitatis ſuæ fidem perhiberent, cuius merito, cum beatis ſpiritibus, gratiſsimo Dei aſpectu in cælis perfruitur.

Præterquam itaque, quod canonizatio iſta ad Pontificis gloriam quoque non mediocrem pertineret, Rex etiam cum Principe filio pro feruentiſsima ſua in ſanctum Dei pietate ac deuotione eam inſtantiſsimè efflagitabant: quam ſi impetrarent, magni beneficij loco eſſent habituri.

Poſtquam verò Princeps è vita migraſſet, ſæpius ac diuerſis vicibus apud ſedem Apoſtolicã pro impetranda canonizatione Rex catholicus egit, certo

ſibi perſuaſum habens, ſe ſancti huius merito ac apud Deum interuentu vberem gratiam obtinuiſſe, feliciſſimoſque regni ſucceſſus habuiſſe.

Pro eadem etiam canonizatione ſupplices ſe coram S. D. N. Pio quarto obtulerũt Toletani Archiepiſcopatus adminiſtratores; litteris ob eam cauſam exaratis 5. Cal. Septembris, anno recuperatæ ſalutis 1 5 6 7. R[di] quoq; patres S. Franciſci, ex Prouincia Caſtellæ, litteris 8 Idus Iunij perſcriptis.; tum vniuerſitas etiam Complutẽſis, litteris eodem anno datis; Abbas prĕterea & Capitulum eccleſiæ collegiatæ S. Iuſti, & Complutẽſis eccleſiæ Paſtor, litteris 3 Calend. Maij, & 16 Calend. Septemb eiuſdem anni Romam miſſis.

Et antea etiam Rex Catholicus cum Principe filio, eiuſdem rei cauſa 8 & 7 Idus Februarij, anno redemptionis humanæ 1 5 6 4, ſingularem curã huius negocij conficiendi ſupra nominato equiti ſupremo Caſtellæ, legato ſuo commiſerunt. qui ob id in conſiſtorio ſupplex comparuit, obnixè petẽs, vt S. D. N. curam inquirendi in vitam & mores ſanctiſſimos, ac miracula S. Didaci quibuſdam demandaret. quem cum placidè Pontifex audiuiſſet: Illuſtriſſimis viris ac Cardinalibus, Morono, Saraceno, Alexandrino, (qui poſtea fuit Pius Quintus) Aracæli & Vitellio, munus iſtud iniunxit, cum poteſtate ſubdelegandi, ſi rei neceſſitas exigeret. Omnes itaq; commiſſi ſibi muneris authoritate, 3 Nonas Maij, anno ſalutis humanæ 1 5 6 4 ſubdelegauerunt eximios ac reuerendiſſimos viros Didacum Couarruuiã Segobienſem, Bernardum Freſnedam Cuencenſem, & Petrum de la Gaſca Segontinum, epiſcopos; cum facultate, vt

vel

vel simul omnes, vel duo ex illis prædictum inquisitionis munus exequerentur. Quamobrem, vt commissam sibi subdelegationis functionē fideliter obirent, Complutum simul profecti, quæ ad inquirēdi officium pertinebant, exactissimè præstiterunt: quodq; compertum habuerūt Romam atque adeo ad hanc curiam scriptum transmiserunt; idq; tempore Pontificatus Pij Quarti.

Quo postea vita defuncto, eademq; inquisitione in consistorio coram Pio Quinto eius in Apostolica Sede successore, 6 Idus Maij anno 1566 exhibita, Smus Pater supra nominatis Cardinalibus, & præterea Cardinali S. Clementis (quem in locum suum subrogabat) vt in suscepto inquisitionis negotio progrederentur mandauit.

Illi itaque compulsorias & remissorias litteras ad prænominatos Antistites dirigendas decreuerunt: quibus ritè legitiméq; in Hispaniam perlatis, postridie Nonarum Februarij, anno 1567. Procuratore Cameræ (quem vocāt) Compluti citato, ad octuaginta grauissimorum testium examen processerūt. quibus auditis, scriptisq; omnibus ac instrumentis negotium hoc tangentibus collectis, clausum sigilloque munitum processum ad Romanam hanc curiam transmiserunt.

Cùm igitur sanctissimæ Canonizationis huius negotium hucusq; esset perductum: ac interim per Henricum Guzmānum comitem Oliuariū, suumque in Romana curia legatum, qua cœperat diligentia, vrgere Catholici Regis Maiestas pergeret: S. D. N. Sixtus Quintus speciali rescripto, manu sua, secūdum consuetum in talibus causis fori vsum, sub-

ſignato, D. Roſsio Decano, & D. Robuſterio rotæ Auditori mādauit, idq́; 4 Calend. Iulij, anno 1585, vt proceſſum viderent, excuterent, ac in ordinem redigerent. qui poſteaquam in ſingulorū diſcuſsione menſes aliquot deſudaſſent, ſubſequentes articulos ad S. D. N. retulerunt.

Quod acta omnia iure legitiméque fuiſſent recognita & explanata.

Quod remiſſoriarum litterarum teſtes ſecūdum legum præſcripta eſſent examinati.

Quod teſtes exceptionem nullam paterentur, ſed plenam rei fidem facerent.

Quod teſtes litterarum compulſoriarum vi admiſsi & legitime fuiſſent examinati, & ſcripturæ cū fide deſcriptæ, ſic vt fidem omnibus facerent.

Quod librum miraculorum, quo amplius quam 130 miracula S. Didaci patrocinio edita continebātur, ex archiuis ſeu grammatophylacio conuentus fratrum de obſeruātia Sanctæ Marie IESV Hiſpanico idiomate appellato, compulſoriarum litterarū iuſſu, Compluti productū probabili forma ac ſtylo conſcriptum eſſe, fidemq́; facere, iudicarent: quodq́ue recognitionē etiam (prout præ antiquitate fieri poterat) factam, cum duobus & quinque alijs quaternionibus, ac inſtrumento quoque inquiſitionis, in caſtello Sancti Nicolai S. Didaci loco natali confecto, comprobarent.

Quod in eodem caſtello, de ſancto Didaco fratre laico, profeſſo ordinis ſancti Franciſci, anno 1463 vita defuncto, optimè omnibus conſtaret: quodq́; quam diu lucis huius vſura fruebatur, ſanctum ac verè religioſum vitæ inſtitutū amplexus & optimè ſem-

ſemper apud omnes audiuerit, & ſanctam, caſtam, ſimplicem, humilem, caritatisq; officiis fulgentem vitam egerit eleemoſynis & miſericordiæ operibus erga Chriſti pauperes clarus: quod pro Chriſti nomine perſecutiones plurimas ac moleſtias fortiter patienterque ſuſtinuerit: denique quod & cum adhuc inter viuos verſaretur, & cùm iam vitam cum morte commutaſſet pro tali, qualem paulo ante depinximus, ſemper fuerit habitus: quod exangue eius corpus ab anno 1563, in ſacello ſancti Didaci, quod in æde ſanctæ Mariæ IESV (vbi hodie quoque integrum aſſeruatur) viſitur, ſepultum cõquieuerit: adeo vt & cùm adhuc viueret, & poſtquam de vita exiuiſſet, pro ſancto habitus & ab optimis quibuſque ſingulari veneratione cultus fuerit: quod indubitata fide conſtaret, S. Didacum ætate iam ſenioque grauem, pridie Idus Nouembris anno 1463, perennis vitæ munere potiri cœpiſſe.

Quod in remiſſoriarum proceſſu publicæ famæ teſtimonio probaretur S. Didacum, cùm adhuc viueret, pro ſancto habitũ fuiſſe, quodq; in miraculorum quoq; volumine idipſum aſſereretur non paucorum oculatorũ teſtium ſententiis, qui eum & probe nouiſſent, eoq; familiariter aliquãdo vſi fuiſſent.

Quod plurima miracula ſancti huius patrocinio ac merito in plurimis vtriuſque ſexus hominibus manifeſtata argumentis euidentibus probarentur.

Et amplius, quod de multis quoque ſpecialibus miraculis plenè conſtaret, tum maximè de eo quo Illuſtrem matronam Mariam Penuelam paralyticã ſanitati reſtituiſſet: vbi illud quoque ſilentio neutiquã eſt prætereundum, quo Hiſpaniarũ Principem

Caro-

Carolum ſanaſſet: vti paulo ante retulimus.

Ex quo Auditores rotæ, quibus à Pontifice negotium hoc demandatum fuerat, proceſſum, inquiſitionem, & probationes legitimè pleniſsiméque eſſe diſcuſſas, cauſamq; ipſam ſecundum iuris ordinem inſtructam, & ad canonizationem debitè præparatam eſſe, decernebant.

Vnde S. D. N. relatione hac exhita cum conſilio ſacri Cardinalium Collegij, in publica cōcione, decimo Calend. Februatij, anno 1587 habita: Illuſtriſsimis ac Reuerend. Cardinalibus Alexandrino Farneſio Sanctæ Eccleſiæ Vicecancellario, Marco Antonio Colonnæ, Michaeli Bonello Alexandrino, Iulio Antonio Santorio S. Seuerinæ, Antonio Caraffæ, Conſtantio Sarnano, Ferdinando Mediceo, & Hieronymo Mattheio, mandauit; vt, quanta fieri poſſet diligentia, informationem, probationes, teſtiū depoſitiones diſcuterent, & quicquid matura attentaque conſideratione dignum iudicarent, omni adhibita ſedulitate, æqua ſolidæ rationis trutina examinarent.

Qui cum exactiſsimo ſtudio ac indefeſſo labore acta omnia inſpexiſſent, & quod Auditores rotę ſtatuerant, doctiſsimorum grauiſsimorumq; Aduocatorum accedente opera maturè expendiſſent, conſueta in huiuſmodi actionibus, ſtyli ratione ſeruata: cumq; concluſiones à rotæ Auditoribus propoſitas diſputādo excuſsiſſent, & ſigillatim ſingulas approbaſſent: plurimaque pręterea miracula ſancti Didaci ſuffragiis prodita rata habuiſſent: tandem pridie Idus Iunij anno 1588, ſollemni indiuiduæ Trinitatis die, cōgregatione in Palatio Illuſtriſsimi Car-

dinalis

dinalis Farnesij indicta, cum summa animorũ consensione, omniumque applausu, dubitationis omnis materia sublata statuerunt: si S.D.N. ita videretur, integrum esse ad S. Didaci inaugurationem procedi, præsertim cum de singulari planè ac excellente vitæ eius sanctimonia, de puritate, de fide, de feruẽti caritate, bonis operibus, pluribusq; miraculis, intercessione eius manifestatis; plenissimè cumulatissimeque constaret.

Porro iuridica hæc & legitima deliberatio breui quidem sed Latina, ac eleganti orationis filo cõtexta oratione, ab Illmo Cardinali Marco Antonio Colonna in conuentu, in duodecimum Calend. Iulij Anno 1588. conuocato, declarata fuit.

Quam cum auidis auribus summaq; cum attentione Pontifex ipse & sacrum Cardinalium collegium excepissent: cumque miram vitæ sanctitatem, fideiq; puritatem, cæteraque omnia ad eius canonizationẽ necessaria, maturo iudicio approbata, & sanctificatione digna cõperissent; adeo vt optimo iure decernenda omnibus videretur: excussis expensisq; omnibus, qua fieri poterat sagacitate, celebrandam omnino esse Sanctitas D. N. statuit ac definiuit.

Quam quidem ob rem in diem sabbati proximè sequentem, qui erat 7 Calend. Iulij, præsentis anni, 1588, consistorio seu congregatione indicta; S. D. N. toga purpurea & inæstimabilis pretij tiara conspicuo præsidente; seruatis omnibus, quæ ab iis præscribi solent; qui sacris in Ecclesia ritibus præfecti sunt: Pompeus Arigonus Consistorialis, & Catholici Regis aduocatus, cum cõcinna, graui ac eloquẽdi artificio insigni oratione, pium iuxta ac sanctum

Regiæ

Regiæ Catholicæque maiestatis zelum exposuisset, quo canonizationem hanc fieri diu multumque efflagitarat: vitam quoque, actiones, & miracula S. Didaci coram vniuerso cœtu enarrauit, & supplicibus precibus Regiæ Maiestatis regniique procerum nomine postulauit, vt sollemnem S. Didaci apotheosin celebrari Pontificia authoritate pateretur.

Quâ oratione feruentis deuotionis significatione plenissima finita; Antonius Boccapadula Ecclesiæ S. Petri Canonicus, ac Pontifici summo à secretis, Sanctitatis D.N. nomine, assiduam Catholici Regis iustamq; petitionem plurimum cõmendauit, eiusq; tum pietatem tum flagrantis deuotionis stimulum prudenti verborũ exaggeratione collaudauit; quod afflictissimis his, ac exulceratissimis tẽporibus, tam multis tamque sibi pugnantibus hęreticorum sectis agitatis, ad Dei tamen gloriam, fideique Catholicæ propagationem, & hæreticorum extirpationem, tam feruẽti sedulitate canonizationem istam fieri postularet. Sed tamen quia res esset maximè seria, maximéque ardua, tanti ponderis ac momenti negotium maturiorĩ consilio expendendum esse respondit. Quocirca sacrum Cardinalium collegium, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, cęterosq; Ecclesiæ Prælatos, ad quorum curam quidnam tãta in re ex cõmodo Ecclesiæ esset dispicere pertinebat, pia adhortatione stimulabat, vt huc cogitationes omnes conferrent, Deumque Opt. Max. quam possent feruentissimè precibus pulsarẽt, vt ad nominis sui decus & gloriam actio tam celebris succederet.

In diem itaq; Lunæ subsequentem, 5 Calend. Iulij, anno 1588, secundum ritus ac ordinem in huiusmodi

iuſmodi negotijs ſeruari ſolitum Conſiſtoriū ſemipublicum (quod vocant) indictum fuit: cui venerādum Cardinalium collegium, Patriarchę, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & rotæ Auditores interfuerunt, S^mo D. N. epheſtri purpurea, & ſimplici aureaque mitra fulgente, hîc iterum præſidente: qui indicto, pro rei dignitate ac maieſtate, omnibus ſilentio, grauem orationē exorſus, tanto iudicio, tantaque vocis maieſtate, de maximi ponderis negotio, verba fecit; vt multis iiſque efficacibus argumentis manifeſtum omnibus faceret, Sāctam Apoſtolicam ſedem in diuorum canonizatione neutiquam errare poſſe. Sub finem vero prudentiſsimæ pariter ac grauiſsimæ orationis, quam attentis auribus venerandū collegium totaque concio hauſerant, Idem S. D. N. vt quid quiſque de ſacra iſta inauguratione ſentiret, liberis ſuffragiis proferret præcepit. Atque ilico qui inter purpuratos Patres ætate ac dignitate cæteris anteibat, ſuffragium protulit: quem reliqui Cardinales, deinde Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi (ordine quiſq; ſuo) ſecuti, omnes liberis ſentētiis, quod ſentiebāt, protulerunt, ac ſine vlla votorū diſcrepantia, vno ore, vnoque iudicio conſtituerunt; Quod cùm de vitæ ſanctitate, de fidei conſtantia, & miraculorum patratione S. Didaci pleniſsimè conſtaret: cæterorum diuorum albo, publica ſollemniq; canonizatione aſſcribendus omnino videretur. Latis, eo quo explicatum eſt ordine, ſuffragiis auditiſq; cum maxima animi attentione omnium ſententiis vt canonizatio, in diem Saturni, poſtridie Calēd. Iulij, in quem Viſitationis B. virginis Mariæ feſtiuitas incidebat, publicè ſollemniterq; indiceretur, Ponti-

ficio

ficio decreto S. D. N. sanxit; omnes interim ac singulos exhortans, vt liberalibus eleemosynis frequētibus ieiuniis, precibusque feruentibus Dei gratiam ac auxilium implorarent.

Euestigio Procurator fisci, Protonotarios Apostolicos, qui præsentes aderant, vrgebat vt vel vno, vel si opus esset, pluribus instrumentis Pontificium decretum, & quicquid præterea in sacro consistorio gestum esset, manifestum omnibus facerent. quod cum prima data opportunitate facturos se recepissent, sacer senatus fuit dimissus.

DE PRÆPARATIONE FACTA *pro sollemni Canonizatione S. Didaci, in æde Apostolorum Principis celebrata.*

SOllemnissimus Canonizationis actus, in Vaticano, in æde Diuo Petro sacta fuit celebratus: ordine ab Illmo & Rmo Cardinali Gesualdo, congregationis sacrorum rituum sanctæ Ecclesiæ præfecto, mature excogitato, ac prudenter deinde seruato.

Primum omnium in sacra æde machina quędam lignea, tabulati instar, longitudinis cannarum (vt Italica voce liberius vtar) 12, latitudinis autem cannarum sex, & amplius paulo, excitata fuit. quæ inferne viridi panno strata, ad latus vero vbi solium Pontificium conspiciebatur purpureo erat obducta. Super hanc machinam ea parte, quę Ecclesiæ D. Petri maiori portæ opposita erat, altare in quo Missarũ sollemnia S. D. N. celebraturus erat, erectum fuit. Atque pars illa omnis pontificalibus aulæis maxima

arte

arte laboratis, tum byſſo ac auro, ad ſpectantium ſtuporem, artificioſiſſimè intexto, duplici ſerie erat adornata.

In medio contabulationis pannus ille ſuſpẽſus viſebatur quo Spiritus ſancti ſub imagine ardentium linguarum ſuper Chriſti diſcipulos ſacro Pentecoſtes die aduentus artificiosè admodùm erat expreſſus, prout canonizationis celebrãdæ ſollemnitas poſtulabat.

Supra altaris erecti vmbellam, crux erat iuſtæ magnitudinis, cui claues duæ grandiores in modum crucis vtrinque affixæ erant, cum funalibus magna arte ac ingenio excogitatis & aſpectui gratiſſimis: ſub qua cruce aliam cernere licebat panno holoſerico coloris purpurei affixam. Erat & alia quædam crux phrygio opere auro intertexto in maximi pretij panno decorè expreſſa, quo in ſanctorum martyrum ſepultura Romæ olim vti aſſueuerant, quique velut digniſſimum antiquitatis monimentum, religiosè, magnaque cum veneratione in æde Diui Petri aſſeruatur.

Ad dextram altaris partem Aquilonem verſus, vbi euangelica lectio decantari ſolet, ſublime ſolium erat quod vmbella deſuper venuſtè tegebatur, in quo S. D. N. Canonizationis actum cæteroſque ritus ad miſſæ ſollemnitatem pertinentes facturus erat, quos alioqui in ſede Apoſtolica dum ſacrum celebratur, facere aſſueuit.

Ad ſiniſtram, occidentem verſus, aliud ſolium erat ſed humilius, vbi ornamentis ad miſſæ ſacrificium celebrandum neceſſarijs indui de veteri eccleſiæ more Pontifex ſolebat.

Circa altare ſcamna tapetibus ſtrata Cardinalibus poſita erant, tum paruo interuallo alia quoque ſedilia ex ligno dedolato confecta cæteris Præſulibus diſpoſita qui ſollemnitati huic intereſſe debebant.

Non procul à theatro hoc, inferiori loco clerus vrbis vniuerſus tam ſæcularis quàm regularis cum ſignis crucifixi imagine venerandis ac cæreis albis quos ſinguli manibus tenebant, aſtabat.

Aſcendebatur porrò ad iſtam contabulationem gradibus aliquot, ad quam duabus portis aditus patebat, quas præſidiarij Pontificis milites ſeruabant; altera ad imam machinæ partem, in ſubliniore graduum parte, altera iuxta quam à Cardinalium tergo abacus erat (Italorũ vulgus credenzam vocat) aureis argenteiſque vaſis magnificè inſtructus, in quo oblatio Pontifici poſtea offerẽda erat repoſita.

Ex quatuor theatri angulis inſignia quatuor ſeu vexilla prominebant, in quibus Sancti Didaci effigies circa medium erat expreſſa, in inferiori autem parte Pontificis & Catholici Regis arma depicta conſpiciebãtur. Cum verò ſollemnis ſupplicatio (vti mox dicetur) adeſſet, in medio theatri quintum vexillum è ſublimi, tanquam ex aëre pendulum cæteris auguſtius cum Diui imagine demittebatur: quæ certè omnia oculos iucundo aſpectu mirificè paſcebant.

Templum ſplẽdidiſſimè vndiq; magnificentiſſimeq; erat ornatũ, ac propè infinitis facibus cęreis lucidum quæ in æditiore ſacrarum ædium parte circumcirca optimo ordine erant diſpoſitæ.

Sub

Sub facibus per vniuersum templi ambitum serta quædam seu redimicula mediocris magnitudinis suspensa erant, venusta quadam oculisque grata colorum varietate distincta, pluribusque Diui imaginibus nec paucioribus D. Petri, Pontificis, Regisq; Catholici insignibus decorata; multis etiam aureis, citreis, cydoneisque malis tum naturalibus tum naturam imitantibus ad oculorum oblectationem decenter ornata.

Sub hisce corollis iterum tapetes à tribus templi angulis mira arte laboratos cernere licebat, qua autem parte sanctissimum Eucharistiæ sacramentum reponi consueuit, culcitræ plurimæ phrygia arte magnificè confectæ resplendebant.

Denique talis erat tamque splendidus apparatus omnis, vt (quemadmodum ex annalium fide constare facilè potest) alijs aliarum ætatum apparatibus in diuorum canonizatione adhiberi solitis multis partibus esset meritò præferendus.

Quo vero ordine ac pompa, celeberrima festiuissimaque comitante supplicatione ad theatrum hoc scintillantibus facibus luminibusque fulgidum in quo sollemnis canonizatio celebranda erat summus Pontifex tandem peruenerit; iam dicturus aggredior.

Postridiè Calendarum Iulij in quem diem Deiparæ Virginis visitationis festiuitas inciderat, venerandum purpuratorum patrum collegium in sacello palatij quod à Sixti nomine appellationem accepit, circa octauam horam præsto fuit, eo ornatu ac habitu qui inferius paulò explicabitur, nec ij tantum, sed frequentissima etiam Præ-

ſulum corona, trabeis ſacriſque infulis inſignis. aderant quoque qui in Diui Petri æde confeſſionibus audiendis præſunt, caſulis induti. Subdiaconi præterea, Acolyti, Amanuenſes, (Abbreuiatores vulgo vocantur) & Protonotarij, ſuperpellicijs decorè amicti.

Summus autem Pontifex, Cardinalibus quibuſdam ac Principum oratoribus, nonnulliſque vrbis Proceribus & Prælatis familiaribus ſtipatus, ex aula pontificia per ſecretiores gradus ad prænominati ſacelli adytum deſcendit, atque ibi, ornamentis quæ in altari parata iacebant, indutus fuit, amictu nimirum, alba, cingulo, ſtola & epheſtride deaurata aureoque limbo reſplẽdente, in cuius altero ſinu pontificia in altero regia inſignia relucebant.

Ornato ſacris veſtibus Põtifice, Cardinalibuſque in coronæ modum circumſtantibus; Cardinalis Deza (cui ne propter difficultates quaſdam aliâs ſubortas canonizationis ſollemnitas turbaretur in mandatis Pontifex dederat vt ſe in actu ipſo præſentem Catholici Regis nomine ſiſteret) ſecundum antiquum ritualium morem cæreos tres Sanctitati D. N. obtulit, grandiores duos auro honorificè obductos, inſignibuſque tum Pontificijs tum Regijs conſpicuos, quorum alterum Oratori Veneto, alterum Sabaudiæ legato tradi præcepit, tertium cæteris aliquanto minorem, ipſe in ſupplicatione poſtea circumtulit.

Quo ritè peracto, S. D. N. hymnum, *Aue maris ſtella*, altiuſcula voce inchoabat, opportunè profectò: tum quia viſitationis beatę Mariæ feſtiuitas, in diem

in diem illum inciderat: tum etiam quia in supplicationibus pro diuorum canonizatione institutis, hymnus iste decantari consueuerat. Cumque ad primi versiculi finē in genua Pontifex procubuisset, surrexit, & tiara inæstimabilis pretij renidens cùm portatili sellæ insedisset, supplicatio progredi cœpit, & è Sixti sacello ad Heluetiorum, hoc est, ad portam palatij maiorem contendit.

Clerus tam secularis quam regularis qui maxima frequentia conuenerat, in area palatij maiori Pontificem præstolabatur, qui signo dato per portam maiorem egressus cum aream diui Petri circumiuisset, & ad porticum deuenisset, substitit: seque in duas veluti alas partiens supplicationi pontificiæ intra se locum fecit.

Domestici Pontificis purpureo habitu præcedebant, quos qui Sanctitati suæ à secretis erant sequebantur, consistoriales aduocati succedebant, post quos tubicines ingrediebantur, quos æquali passu Hispanicę aulæ Procurator generalis religionis S. Francisci de obseruantia candida fulgens casula, vexillumque in quo S. Didaci imago expressa erat manu gerens excipiebat, cuius vtrumque latus quatuor eiusdem instituti patres cādidis superpellicijs induti cingebant: musici deinde sacelli pontificij prodibant, hymnū *Aue maris stella* suaui vocum harmonia concinentes, hos Scribæ & ipsi superpellicijs induti, cum Subdiacono crucem Pontifici præferri solitam gestante, duobusque caduceatoribus virgæ rubeæ subsequebātur, deinde qui in æde D. Petri confessionibus præfecti sunt crucem sequebantur, post quos Abbates, Episcopi,

Archiepiſcopi & Prælati Pontificis in ſacris miniſtri, mitris trabeiſque reſplendentes: Cardinales deindè Diaconi tunicis (quas podêres græci vocant) mitriſque inſignes ſuccedebant; tum Cardinales præsbyteri planetis (quæ caſulæ ab eccleſiaſticis hodiè vocantur) mitriſque decori: mox Cardinales Epiſcopi pluuialibus (latini trabeas appellant) mitriſque conſpicui: poſt hos Cardinales Diaconi gradiebantur, Aſcanius ſcilicet colonna, cui quod Euangelium in ſacræ miſſæ ſollemnibus decantandum eſſet, medius honoratiorque locus debebatur; Cardinalis Sforza & Montalto Pontificis in ſacrificio miſſæ miniſtri, quorum alter dextrum alter ſiniſtrum Aſcanij latus claudebat. Ab horum iterum altero latere legatus Venetus ab altero Allobrogum Orator cæreos quorum paulo antea meminimus manibus gerentes procedebant.

Poſt hos S. D. N. Pontifex Max. geſtatoriæ ſellæ inſidens magna maieſtate deferebatur, ſub portatili vmbella quam in ipſo egreſſu Principum virorum Oratores Romanæque vrbis Primates deindè alij quoque proceres per vices ſuſtinebant: ſequebantur qui Pontifici in conclaui adeſſe conſueuerant, inter quos medius gradiebatur D. Oliuarius vicarius rotæ decanus, in ſuſcipienda tiara quoties Sanctitas ſua aſſurgit, decani vicem ſuppleturus: Protonotarij deindè eo quem ſupra deſcripſimus habitu, cum numeroſa nobilium turba ſubſequebantur.

Pontificis ac Cardinalium latera Heluetij præſidiarij milites armati cingebant, quin & leuis

arma-

armaturæ equitibus fulgentibus armis in equis conſpicuis, loca per quæ ſupplicatio progrediebatur omnia oppleta ac obſeſſa erant.

Pontifex, Cardinales, Antiſtites, Clerus denique omnis cuiuſcunque religionis ac ordinis & quicunque ad ſollemnem ſupplicationem inuitati fuerant, cæreos albos accenſos manibus geſtabant, qui tum maiores tum minores pro gradus dignitatiſque vniuſcuiuſque diſcrimine, à Catholicæ maieſtatis (ad cuius poſtulationem actus hic celebrabatur) miniſtris in maxima copia liberaliſſimè ſingulis tradebantur.

Cum autem ad eccleſiæ Apoſtolorum Principis porticum S. D. N. delatus eſſet, ex Capitolio D. Petri ſuauiſſimo concentu muſico fuit exceptus, mox templi limina ingreſſus theatrum vbi altare fuerat erectum aſcendit, ac cùm de portatili ſella conſurrexiſſet, ante ſedem oratoriam (Romani eccleſiaſtici faldiſtorium vocitare conſueuerunt) in genua decenter procubuit, & precibus ante altare effuſis, ad ſolium ſublimius quod ad dextrum altaris cornu erectum fuiſſe diximus, conceſſit, vbi Cardinales omnes ac Prælatos obedientiam S. ſuæ humiliter exhibentes clementer humaniterque excepit.

Quo debita ſollemnitate peracto, D. Franciſcus Mocantius ſacrarum cæremoniarum magiſter Pontificis nomine Cardinalem Dezam palam euocauit, qui continuò aſſurgens cum Pompeo Arigone Cõſiſtoriali Aduocato corã Pontifice conſtitit, ac ſolita debitaque exhibita reuerentia, Cardinalis quidem erectus ſtetit, Aduocatus

autem genibus flexis pauciſſimis verbis pro prima inſtantia dixit; Cardinalem Dezam coram S. ſua aſtantem Catholicæ Maieſtatis nomine feruentiſsimè efflagitare, vt inter indigetes diuos S. Didacum Complutenſem referre dignaretur; eo nimirum fine, vt ab omnibus Chriſti fidelibus pro Sancto impoſterum & religiosè colatur & inuocetur.

Eueſtigiò Antonius Boccapadula qui ſummo Pontifici erat à ſecretis, grauibus prudentibuſque verbis eiuſdem nomine reſpondit Pontificem negotium iſtud quod maximi momenti ac põderis ſemper fuiſſe iudicauerat, diligentiſſimè accuratiſſimeque expendiſſe, & quoniam maturo examine præuio quæ ad Canonizationem requiruntur omnia plenè cumulateque excuſſa, rata & confirmata eſſe comperiſſet: prodijſſe ipſum in publicum locum, vt ſanctiſſimo actui huic coronidem ac velut ſupremam manum imponeret, & ob id quod iuſtorum preces plurimum apud Deum poſſe probè nouiſſet, circumſtantem ampliſſimorum patrum cætum hortari, vt in genua humiliter omnes prouoluti precibus à diuina Maieſtate contenderent, vt actio tam celebris ad immortalis Dei gloriam cepta, ad optatum exitum per immenſam eius miſericordiam poſſet perduci.

Quo reſponſo accepto, Cardinalis receſſit, Pontifex verò à ſublimiore ſolio ad ſellam oratoriam deſcendit; cumq; ſacra infula vertici eius decenter impoſita, in genua ſe demiſiſſet, litaniæ Sanctorum cantari cœperunt, quibus tandem finitis ad eminentiorem ſedem ſe iterum recepit.

Tum

Tum cæremoniarum Magister Cardinalē Dezam cum Aduocato Arigone secūdo euocauit: factaque pro impetranda Canonizatione secūda instantia, Antonius Boccapadula breuibus quidem sed ornatis concinnisque verbis respondit negotij præsentis magnitudinem exposcere, vt S. Spiritus gratia super hoc imploretur vt sacro spiramine commoueat, doceat, moneat, ne in re tanta ac tali error vllus committatur.

Ac tum iterum è solio sublimiore ad oratoriam sellam descendens capite tiara decore redimito genua flexit, & statim Cardinalis Sforza Diaconus clariore voce *Orate* pronūciauit, atque ilicò ablato à Pontificis vertice diademate, in mentali oratione & ipse & reliqui Præsules depositis infulis aliquamdiu perstiterunt, donec Cardinalis Montalto Diaconus à sinistro altaris cornu calriore quoq̄ue voce protulisset *leuate*, tum enim Pontifex cęterique omnes erecti steterunt, & allato coram libro S. D. N. hymnum *Veni creator Spiritus* exorsus in genua iterum cum cæteris humiliter tantisper procidit, donec primus versiculus à musicis esset decantatus; tunc rursus consurgens ad eminētiorem sedem diademate assumpto redijt, cæteris ad hymni finem circumstantibus: musici versiculum *Emitte spiritum tuum &c.* præcinebant, Pontifex autem orationem *Deus qui corda fidelium* recitabat; qua finita, Cardinalis Deza cum Arigone Aduocato pro canonizatione Hispaniarum Regis nomine tertio institit, & Antonius Boccapadula tertio etiam respondit; cùm S. D. N. persuasum haberet tantam rem omnipotenti Deo minimè

 displi-

diſplicere, decreuiſſe eum S. Didacum tum vitæ ſanctimonia tum miraculis clariſſimum diuorum albo aſſociare.

Et libro dicto citius à ſacrorum miniſtris prolato, Sanctiſſ. Pater pontificali tiara venerabilis grauiſſimis efficaciſſimisque verbis matura deliberatione præmiſſa excogitatis manuque ſua perſcriptis, canonizationis ſentẽtiam ſedens pronunciauit, ac S. Didacum Sanctorum Confeſſorum felici cœtui aſſcripſit, vtque pro ſancto ab omnibus coleretur pontificia authoritate præcepit, vt feſtiuitatis eius dies pridiè idus Nouembris ſingulis annis celebraretur, & vnius Confeſſoris officium eodem die in Eccleſia recitaretur, ac demum vt in eius honorem templa ac altaria, in quocumque loco omnipotenti Deo grata ſacrificia fiunt, erigi poſſent, ſollemni ſtatuto decreuit; omnibus inſuper vtriuſque ſexus Chriſtianis verè contritis & confeſſione ſacramentali expiatis qui die diuo huic ſacro ſacellum vbi corpus eius conquieſcit Compluti, & templa ac altaria quæ ad eius gloriam Deo impoſterum erigẽtur, pia deuotione viſitabunt, omnia priuilegia ac indulgentias & ſpirituales gratias conceſſit, quæ eccleſijs in eiuſdem religionis Sanctorum memoriam ædificatis conceſſæ olim fuerunt ac à ſede Apoſtolica indultæ.

Pronunciata hac ſententia, Cardinalis Deza cum Arigone Aduocato Catholicæ maieſtatis nomine gratias quam maximas S. ſuæ humillimè egerunt, & pari humilitate contenderunt, vt decretæ canonizationis diplomata eadem opera decernere

cernere non grauaretur. quibus auditis S. D. N. pronunciabat *decernimus*, signo sanctæ crucis reuerenter facto, tum aduocatus ad Protonotarios conuersus vt instrumenta rogarentur quò de actus istius veritate omnibus constaret, postulauit.

Quibus celeberrimè peractis, tubarum clangores perstrepuerunt, organa & campanæ pulsatæ, tum ænea tormenta tam in area D. Petri quam in arce S. Angeli displosa fuerunt. Ipse verò Pontifex canticum *Te Deum laudamus* exorsus fuit, musicis grato concentu ad finē vsque subsequentibus. Ac tum quidem Cardinalis Sforza Diaconus à dextra altaris parte versiculum sancti ***ora pro nobis S. Didace*** præcinuit, musicis ***vt digni efficiamur promissionibus Christi*** iucundè occinentibus.

Ipse verò Pontifex orationem propriam de S. decantauit, quæ sic habet: ***Omnipotens sempiterne Deus qui dispositione mirabili infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas, concede propitius humilitati nostræ, vt pijs Beati Didaci Confessoris tui precibus ad perennem in cælis gloriam sublimari mereamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.***

Cardinalis deindè Ascanius Colonna Diaconus qui lectionem euangelicam erat recitaturus confessionem generalem *confiteor* decantabat, post Apostolorum Petri & Pauli nomina Sancti iam canonizati nomen subdens. At summus Pontifex absolutionē præsentibus omnibus indulgens post Petrum & Paulum Apóstolos, S. quoque Didacum nominauit.

Qui-

Quibus tranſactis, ad aliam ſedem ab alio altaris cornu poſitam ſe Pontifex tranſtulit ſollemnibus miſſæ ſacrificij ornamentis induendus, quæ Catholici Regis ſumptibus (vti mox dicetur) adilluſtrandum canonizationis actum mirabili artificio ac magnificentia erant confecta.

Sacrum in honorem Deiparæ virginis celebratum fuit, adiuncta ſancti commemoratione, ac ad offertorium vſque, hoc qui ſequitur modo productum.

Dum in eminentiore ſolio offertorium S.D.N. legeret, Cardinales quatuor abacum aureis argenteiſque vaſis ad ſacrificium miſſæ neceſſarijs onuſtum adibant, allaturi quæ in eo præparata erant, quorum primus Epiſcopi perſonam referens erat Cardinalis Colonna, alter Alexandrinus cæteros Cardinales præsbyteros ætate præcedens, tertius Cardinalis Matteius Diaconus & canonizationis commiſſarius, quartus Deza erat qui Catholicam Maieſtatem referebat. Horum miniſtri nobiliores miris ac maieſtate pleniſſimis cæremonijs quæ ad oblationem parata in abaco erant S. ſuæ hoc modo obtulerunt.

Colonna cæreos duos grandiores qui in ſupplicationem paulo ante fuerant delati, & Diui canonizati effigie tum Pontificijs Regijſque inſignibus erant decorè exornati, vtrumque priuſquam offerret modeſtè exoſculatus S. ſuæ obtulit, quos cum de manu eius Pontifex ſuſciperet, Cardinalis manum eius ac genu exoſculatus receſſit.

Deza eiſdem ſeruatis cæremonijs cæreũ prius, deinde caueam inauratam cui par turturum inclusum

clusum erat, reuerenter obtulit, Alexandrinus panes triticeos duos alterum auro cum Pōtificijs insignibus, argento alterum obductum cum Catholici Regis armis, venerabundus obtulit: quem Deza iterum excipiens cæreum alterum, alteramque fiscellam cum duabus columbis supplex porrexit.

Cardinalis Matteius vascula vini duo deauratum alterum, alterum argento tectum Pontifici tradidit, in quorum alterius fundo Pontificis, in alterius ima parte Regis arma extrinsecus depicta conspiciebantur.

Deza tertio prodiens tertium cæreum cum sportula diuersorum colorum varietate insigni, diuersique generis auiculis referta hac ratione obtulit; vt reticulo à cæremoniarum magistro cautè inciso, auiculis quoquouersum euolaturis exitum præberet.

Oblatione eo planè modo quo exposuimus peracta, Cardinales ad locum suum se singuli receperunt: solus Deza quæ supererant oblaturus substitit, quibus tandem oblatis locum suum is quoque repetiuit.

Ac tum quidem in sacro missæ officio solito ritu solitisque cæremonijs vlterius processum fuit, cōmemoratione, secretis, post communione, sancto accommodatis.

Finito missæ sacrificio, Cardinalis S. Georgij primi Episcopi & sacrorum ministri personam sustinens Pontificis nomine plenariam indulgētiam formula ecclesiæ consueta omnibus qui præsentes celeberrimo actui intererāt, indulsit. Pontifex autē de more ad grad' vsq; ornamentorū fuit deductus.

Hæc

Hæc sunt quæ circa sollemnem hanc canonizationem memoratu digna occurrerũt, ex quibus liquidò constat quàm exacta diligẽtia, inquisitione, examine, cõsilio, prudentia ac maturitate sancta sedes Apostolica in huiusmodi negotijs vti cõsueuit.

Erat reuera res admiratione dignissima populũ omnium ordinũ qui sollẽnitati huic intererat concursum intueri, nec minorẽ considerationem forte merebatur diuinã prouidamq; Dei maiestatem ita disposuisse, vt qui Sabbato pridiè Calend. Nouẽb. è vitæ mortalis ergastulo excessisset anno redemptionis humanæ 1463, idẽ Sabbato quoq; postridiè Calend. Iulij anno redintegratæ salutis 1588, pro Sãcto ab omnibus piè religioseq; coli ceptus fuerit.

Sed jam instituti tractatuli ratio postulat, vt quemadmodum me paulo ante pollicitum fuisse memini, ornamenta omnia quæ à catholica maiestate ad condecorandum canonizationis actũ procurata & ad perennẽ rei memoriam in Põtificis sacelli vsum relicta fuerãt, breui orationẽ cõplectar.

Supra altaris erecti faciem vmbella pulchritudinis & magnitudinis nõ mediocris suspensa erat è panno auro intexto acinis minusculis iucundè eminentibus confecta, in cuius triginta laciniis (tot enim erãt) circa altare depẽdentibus plurimæ diui imagines cũ S. Petri, Pontificis ac catholici Regis insignibus magnificè splendideque ac debita proportione depicta erant, tum & Angelorum effigies cum variis multiplicis coloris floribus, ea autẽ vmbella siue cælum (sic enim altaris tegumentũ non incõmodè vocari posse arbitror) veteri ac iam olim recepto ecclesiæ more in vsum tẽpli D. Petri cessit.

 Vide-

Videre etiam ibidem licebat amiculum vlnarũ septem ex eadem materia plumato opere affabrè factum; cuius extremam oram limbus vndiq; aureus ambibat, circa mediũ sancti effigies acu egregiè picta cernebatur, vtroq; latere insignibus pontificiis regiisq; auro argentoque ductili intexto venustissimè exornato.

Duo prætereа librorũ opercula eodem artificio eodẽq; panno confecta, similiq; limbo circundata.

Puluinus etiã cui missale seu liber ritualis innitebatur ex eadẽ materia aurea fimbria circũseptus globulis peniculisque sericeis aureisq; turgidus.

Theca item corporalium maiuscula secundum sacelli pontificij ritũ ex eodem panno tractili auro intexto contexta, in qua crucis imago phrygia arte intexta erat, nodis peniculisq; auro sericoq; tumẽtibus appensis.

Pulpiti quoq; ex quo euangelica lectio decãtari solet tegmen eadem materia, ora aurea circũdante vestitũ, fimbriaq; aurea sericeaq; appẽsa decorũ, ac D. imagine armisq; pontificiis ac regiis illustratũ.

Tegumentum insuper sellæ oratoriæ pari artificio parique limbo, eadem diui effigie, iisdemq; insignibus condecoratum.

Deniq; puluini maiusculi duo quibus secũdum sacelli põtificij vsum sedes & scabellum purpurei coloris heteromallio vndiq; contectũ exornari solet, quoties Pontifex in genua procumbit, hi autem eadem textura erant cõfecti, margine aureo, nodulis peniculisq; suauiter affixis; in quorum altero cui Pontifex inniti solet, sancti imago armaque tum pontificia tum regia fulgebant.

Trabea seu pluuiale quo Cardinalis Episcopus sacrorum minister induebatur, ex panno auro in fila lentescente confectum, plumario opere acinis pulchrè eminētibus illustre, sertisque quibusdam ac corollis in modum phrygij operis crispantibus, aureo limbo fimbriaque aurea adornatum, affixis, vbi opus erat, vncinulis argenteis, cum cucullo in tergo phrygio artificio laborato. circa cuius medium Diui effigies scitè erat acu expressa, armis pontificijs regijsque vtramque extremitatem quæ ad talos descendit, iucundissimo aspectu condecorantibus.

Tunicæ præterea duæ ex eadem materia, eodem artificio, textura, limbo, marginibusque splendidæ, stola vna ac manipuli bini. in parte tunicarum posteriori Diui effigies pontificijs regijsque armis vtrinque septa erat, ijs autem in missæ sacrificio Cardinalis Diaconus qui euangelicam lectionem & Subdiaconus qui epistolam decantabat, vtebantur.

Tunicæ item aliæ duæ ex panno quoque intexto auro confectæ, sed plano non plumario, pretij tamen non minoris, hoc nimirum consilio, vt texturæ diuersitate ab alijs internoscerentur quæ in Diaconi Hypodiaconique vsum erant comparatæ, qui euangelium & epistolam græcè erant decātaturi, pari artificio, limbo, nodulis, aureis sericeisq; immixtis peniculis: tum Diui effigie armisque pontificijs, ac regijs vt priores ornatæ.

In Pontificis vsum ornamenta omnia quibus in sacris opus esse solet, magna solicitudine erant confe-

confecta, caligæ nimirum sericeæ colore candido auro circumductæ, tum sandalia deaurata crucisq; imagine veneranda, Gremiale (quod vocant) ex eadem tela aurea serico immixto fimbria affixa resplendens. Dalmatica vna ac tunica ex bysso candida confecta limbisque aureis circum contecta, casula item vna ac stola manipuliq; duo opere polymitario pulchrè elaborata, struppis eodem artificio pulchrè extantibus intextis fimbriisque aureis circumscripta.

At in posteriore casulæ parte S. effigies, & inferius paulo pontificia regiaque arma acu magnificè erant depicta.

Iusserant præterea Regis catholici ministri amiculum pontificium confici, auro purpuræ egregiè inserto, in quo alterius materiæ ac coloris corollæ sertaque placidissimè extantia erant intexta, aureo limbo splendidissimè superiecto, additis vncinulis tribus totidemque orbiculis solido auro affabrè conflatis, tum stola eodem artificio confecta ac crucis imagine in ea opere mirando expressa, hoc autem amiculo siue pallio tam in supplicatione quam canonizationis actu Pontifex vtebatur.

Sequuntur quadraginta Cardinalium nomina qui canonizationis sollemnitatem præsentia sua cohonestarunt.

Cardinales Episcopi.

Ioannes Antonius Sorbellonus Mediolanensis, Episcopus Portensis & Sanctæ Ruffinæ, vulgo dictus Cardinalis S. Georgij.

Alphonſus Geſualdus, Neapolitanus, Epiſcopus Tuſculanus.
Marcus Antonius Colonna, Romanus, Epiſcopus Præneſtinus.
Ptolomæus Gallio Nouocomenſis, Epiſcopus Albanus.

Cardinales Presbyteri.

Proſper ſanctæ crucis, Romanus.
Fr. Michael Bonellus, Alexandrinus, Ordinis Prædicatorum.
Ludouicus Madruccius, Germanus.
Nicolaus Pelüæus Francus, Senonenſis.
Iulius Antonius Sanctorius, S. Seuerinæ.
Hieronymus Ruſticuccius, Pontificis vicarius.
Ioannes Hieronymus, Albanus.
Petrus Deza, Hiſpanus.
Antonius Caraffa, Neapolitanus.
Ioannes Antonius Facchinettus, S. Quatri, Bononienſis.
Ioannes-Baptiſta Caſtaneus, S. Marcelli, Romanus.
Franciſcus Ioyeuſius, Gallus.
Iulius Canaceus, Ferrarienſis.
Nicolaus Sfondratus, Mediolanenſis, Cardinalis Cremonenſis.
Vincentius Laurus Tropienſis, Cardinalis Mondouinus.
Scipio Lancelotus, Romanus.
Henricus Caietanus, Romanus, S. Eccleſiæ Camerarius.
Dominicus Penellus, Genuenſis.
Ioannes-Baptiſta Caſtruccius, Lucenſis.

Hiero-

Hieronymus Rouerius.
Frater Hieronymus Bernetius, Corregienſis, Ordinis Prædicatorum, Cardinalis Aſculanus.
Antonius Maria Gallus, Auximenſis.
Fr. Conſtantius Sarnanus, ordinis Minorum conuentualium.
Scipio Gonzaga, Mantuanus.
Antonius Saulius, Genuenſis.
Euangeliſta Palottus, Cardinalis Coſentiēſis, Pontificis prodatarius.
Petrus Gondius Florentinus, Cardinalis Pariſienſis.
Fr. Stephanus Bennuccius, Ordinis Seruorum, Cardinalis Aretinus.

Cardinales Diaconi.

Franciſcus Sforza, Romanus.
Alexander Perettus, Cardinalis Montalto.
Aſcanius Colonna, Romanus.
Hieronymus Matthæi, Romanus.
Benedictus Iuſtinianus, Genuenſis.
Fredericus Borrhomæus, Mediolanenſis.

In eadem ſupplicationis & canonizationis ſollemnitate tum Archiepiſcopi, tum Epiſcopi interfuere numero 36, ac pœnè infinita aliorum Prælatorum multitudo, qui omnes Canonizationem ſancti Didaci, præſentia ſua mirum in modum condecorarunt.

MARCI ANTONII CARD. *Columnæ Episc. Pranestini Relatio de vita & miraculis B. F. Didaci de S. Nicolao, facta coram S. D. N. Sixto Papa V. & Cardinalium Collegio, in Consistorio secreto. Die xx. Iunij, Anno M. D. LXXXVIII.*

BEATISSIME PATER



Vperioribus annis, & præsertim anno 1563. ab vniuersa fere Hispania, vna cum ipsius Rege Philippo & Carolo eius primogenito, humiliter supplicatum fuit (sicut ex litteris & mandatis constat) sanctæ memoriæ Pio Quarto, vt stante celebri fama Fratris Didaci Laici professi Ordinis Minorum de Obseruantia, quæ per cẽtum & plures annos in toto illo regno constantissima viguerat, ac vigebat, ac illius vitæ sanctitate, pluribusque eius miraculis, vnde pro Sancto ab omnibus reputabatur, ac colebatur, vellet Sanctitas sua committere, vt de ijs omnibus diligens informatio sumeretur. Quæ si vera reperta fuissent, Sanctitas sua illum inter Sanctos connumerandum, & pro sancto ab vniuersa Catholica Ecclesia tenendum, ac venerandũ statueret. Quibus precibus, & repetitis postulationibus Sanctitas sua mota, anno sequenti 1564. mense Maio in Consistorio secreto totum negotium de more Ioanni Morono, Saraceno, Alexandrino (qui postea Pius V. fuit) Aracæli, & Vitello S. R. E. Cardinalibus commisit, fueruntque Remissoriæ

missoriæ in partibus transmissæ, & canonicè inchoatus processus, atque summaria informatio capta, & ad Curiam, viuente adhuc Pio Quarto transmissa. Eius vero morte subsequuta, Pio V. ab eodem Rege & Principe, necnon Gregorio XIII. supplicatum fuit, negotium reassumi, & ad finem perduci. Sed cùm ijdem etiam Pontifices antequam hæc omnia perficerentur, vltimum diem vitæ suæ sanctissimè clausissent, fuit apud Sanctitatem Vestram eiusdem Regis Philippi, & Regni nomine per Illustrem Comitem de Oliuares Oratorem suum supplicatum, vt cum iam omnia, quæ in mandatis data fuerant, circa processum conficiendum, essent perfecta; Cardinalesque omnes deputati, essent vita functi, Sāctitas V. (quæ vicem in terris Iesu Christi gerit, & cui vniuersalis Ecclesiæ cura commissa est, & ad quam solum hæc negotia spectant) pro sua singulari pietate, dignaretur committere, & mandare, vt tam pium, tam sanctum, & ab vniuerso Hispaniæ Regno desideratum opus, ad debitum finem perduceretur. Quibus S. V. benignè annuens, de mense Iunio 1585. mandauit duobus Rotæ Auditoribus, Io. baptistæ videlicet de Rubeis Decano, & Christophoro Robusterio, vt diligenter viso processu, & discusso, Sanctitati V. vt moris est, de scripto relationem facerent. Quo in negotio cum per multos menses diligentem nauassent operā; tandem relatione, ac voto Sanctitati V. de scripto transmisso, volens consuetum in similibus ab hac sancta Sede, & à Prædecessoribus Sanctitatis V. modum seruare, Die xxiij. Ianuarij anni præteriti in Consistorio

Secreto commiſit Reuerendiſſimo Farneſio Decano, Alexandrino, Sanctæ Seuerinæ, Caraffæ, Sarnano, de Medicis, Matthæio, & mihi, vt viſo omni cum diligentia toto proceſſu de vita & moribus & miraculis in eo contentis, relatione Rotæ conſiderata; Sanctitati V. in Conſiſtorio ſecreto de more relationem faceremus; ſententiamque ac ſuffragium noſtrum explicaremus, vt poſtea Sanctitas V. ſancti Spiritus gratia illuſtrata, quid faciendum iudicauerit, maturè deliberare poſſit.

Reuerendiſſimis Dominis meis Collegis viſum eſt hoc negotium licet humeris meis impar & omnium Dominorum meorũ minimo mihi demandare: quod, ſi placet Sanctitati V. qua maxima breuitate potero, in præſentia præſtare conabor.

Tria ſunt, Beatiſſime Pater, quæ in hac hodierna narratione mihi explicanda propoſui, primo de iſtius viri vitę ſanctitate & fidei integritate pertractabo, in quo (vt Theologorum omnium, & Canoniſtarum eſt ſententia) totius iſtius negotij ſumma conſiſtit. Secundo loco de eius obitu. Tertio de miraculis verba faciam. & vt à primo exordiar:

In Regno Caſtellæ, & ditione Hiſpalen. oppidũ eſt nomine ſancti Nicolai, in quo ante M.cccc. annum natus eſt beatus Didacus, humilibus ſed Chriſtianis, & magna pietate imbutis parentibus, qui ſimili pietate filium ſuum educare procurarunt. Hunc & ſi non genus inſigne, egregiæ tamen ipſius virtutes, ſanctiſſimæ actæ vitæ documenta, & coruſcantia miracula, non ſolum inſignem, ſed etiam clariſſimum atque illuſtriſſimum reddiderunt. Nam cum mortalis huius vitæ pericula quibus

bus ſæpe anima æternis inuoluitur cruciatibus perſpecta haberet, ab ineunte ætate totum ſe pijs deuouit operibus, & apud idem oppidum ſancti Nicolai, in quodam Eremitorio ibi propinquo (ſancti Nicolai veteris nuncupato) vna cum pio quodam Sacerdote ſeceſſit, vbi per aliquot annos eremiticam vitam ducens, magna cum totius illius oppidi ædificatione permanſit. Inde cupiens arctioris obedientiæ vinculis alligari, retento eodem pœnitentiæ habitu, ad Conuentum de Arrizafa non longè à Corduba diſtantem profectus, ibidem Seraphici ſancti Franciſci habitu recepto, illius religionem expreſsè profeſſus eſt: eiuſque regulam ſanctiſſimè per totam vitam ita inuiolabiliter obſeruauit, vt apertè teſtentur viri omni exceptione maiores, neminem ſe vidiſſe adeò ſuæ regulæ, & præceptorum obſeruantem. Quia vero Spiritus ſanctus magnum in eo ſanctitatis ædificium ædificaturus erat, primum ac ſolidum huius ædificij fundamentum in humilitate collocauit; quæ in hoc viro tanta fuit, vt omnes qui cum illo conuerſabantur, admirarentur, atque hac potiſſimum virtutis armatura munitus, diaboli artes omnes facilè ſuperauit. Obedientiæ iugum ſuàuiter ferebat. Prælatorum mandata promptè, ac libentiſſimè exequebatur. Et quoniam regulam ſancti Franciſci, vt dixi, profeſſus fuerat, paupertatem quam in ſua profeſſione vouerat, piè ac religioſè ſemper coluit. Erat in eo magna fides maxima cum ſpe & charitate coniuncta. Pauperes Ieſu Chriſti, ac proximos ardenter dilexit. Infirmos ſi quando ſibi occaſio offerebatur, non ſolum

omni caritatis officio proſequebatur, ſed illis die noctéque inſeruiebat, tanta humilitate, ac caritate, vt ſæpius etiam plagas pure plenas lingua lingere non erubuerit, eleemoſynis adiuuabat, & quidquid ex quotidianis cibis in eleemoſynã Monaſterio datis habere, vel ex proprio cibo ſibi ſubtrahere poterat, alacriter eis largiebatur: cùm verò non haberet quid illis in eleemoſynam porrigeret, miſericordia commotus, profuſas lachrymas emittebat. Orationi erat intentus, diſciplinis non ſolum ſe Deo magis gratum reddere procurabat, ſed etiam vt proximi ſui emendationem vitæ facilius impetraret, corpus ſuum domabat. Ieiunijs ferè continuis carnem macerabat, ſed in primis omnibus vigilijs Beatiſſimæ Virginis Mariæ in pane & aqua ieiunabat. Acer erat reprehenſor eorum qui contra Dei honorem aut regulam ſancti Franciſci aliquid temerè perpetrabant, quam non ſolum ipſe (vt dixi) diligenter obſeruauit, ſed eam ab alijs fratribus inuiolabiliter obſeruari curauit. Nullas vnquam didicerat litteras: ſed quoniam conuerſatio eius cæleſtis potius erat, quam terrena, cum de rebus diuinis agebat, mirificos proferebat ſenſus, & difficillimarum quæſtionum articulos enodabat, ita vt inter alios, duo eruditiſſimi & pietate inſignes viri apertè teſtentur, ſæpius ſibi ipſis contigiſſe, vt rebus difficillimis, & in Theologia abſtruſis quæſtionibus cum illo communicatis, doctiores ſemper euaſerint, illarumque quæſtionum ſolutionibus ita mentes ipſorum acquieuiſſe, vt à nullo alio Doctore, nec in vlla Academia id habere potuerint.

Illud

Illud de hoc Sancto viro valdè laudabile commendatur, cum adeò puro, ac simplici corde semper fuisse, vt semper omnia in bonam partem accipiens, nunquam malè de aliquo iudicauerit, nec contra aliquem vllum malum verbum vnquam protulerit. Prudentiam cum simplicitate coniunctam habebat: vnde factum est, vt cum ad Insulas Canarias missus esset, Guardiani officium in illo Monasterio sibi demandatum omni cum sua laude gesserit. Multos ibidem infideles, & adhuc idola colentes ad fidem Christi adduxit; quapropter ingentes in magna Canaria persecutiones pertulit. Desiderauit ille pro Christi fide martyrium subire, & multoties parum abfuit quin eo bono frueretur: sed Deo ita ordinante non fuit voti compos effectus.

Reuersus in Hispaniam omnibus carus, & in magna veneratione habitus in conuentu Compluten. vbi multis annis fuit commoratus, annorum plenus, in grauem infirmitatem incidit, ex qua cum se iam moriturum cognosceret, & hora mortis instaret, fratribus, qui in illo Monasterio aderant, ad se vocatis, eos ita verbis amantissimis & sanctitate plenis allocutus est, vt ex eorum oculis lachrymas excusserit: deinde arrepta cruce lignea, quam ad caput habebat, illorum orationibus se commendans, conuersus ad crucem hæc verba protulit: *Dulce lignum dulces clauos dulcia ferens pondera, quæ sola fuisti digna portare Regem Calorum & Dominum.* In quibus verbis animã Deo reddidit. Obijt itaque Compluti in suo Monasterio, die Sabbati 12. Nouembris, 1463.

Omnia ſupradicta, Beatiſſime Pater, conſtant per plures teſtes conteſtes, qui de cauſa ſcientiæ deponunt, quorum aliqui ſunt eiuſdem Religionis Fratres, viri magna eruditione & integritate præditi, & in Religione probati, quique illum per plures annos cognouerunt, & in eodem Monaſterio intrinſecè cum illo conuerſati ſunt, quorum etiam duo Guardiani illius Monaſterij fuerunt, & ſub illorum cura beatus iſte vixit: Alij vero vnus ex ordine Prædicatorum: Alter Baccalaureatus gradu inſignitus.

Eius vero morte audita, ingens populorum vicinorum concurſus eſt factus; in primiſque vniuerſorum ordinum ampliſſimæ ciuitatis, & inſignis collegij Compluten. Per quatuor dies humatum, & quarto die refoſſum cadauer, iacuit inſepultum per multos dies; non eſt corruptum, non emiſit fœtorem vt humanorum cadauerum eſt conditio; ſed ſuauiſſimum ſpirans odorem per multos menſes viſitantium animos magna ſuauitate repleuit, & vſque ad hodiernum diem ſæpè ille odor ex eius ſepulchro ſpirans ſentitur: non riguerunt membra, vt deficiente calore rigere ſolent defunctorum cadauera, ſed veluti viuentis flexibilia erant, & moueri poterant. Similem rem veluti valdè mirabilem narrat S. Hieronymus in vita S. Hilarionis, quod poſt decem menſes integrum fuerit inuentum eius cadauer & ſuauem ſpirans odorem. Poſt aliquod vero tempus ab huius beati obitu, Henricus IIII Caſtellæ Rex beneficij memor, quod huius beati Didaci intercesſione & ipſe & eius filia grauisſimè ægrotantes ſanitatem à

tem à

tem à Deo recuperaſſent, Sacellum in eius honorem ædificari, & in eo intra ferream arcam huius beati corpus recondi iuſſit, in qua diligenter cuſtoditum fuit, nec vnquam viſum, donec anno 1562. ad Principem D. Carolum Compluti ægrotantem adductum, & tunc cum ex illa arca educeretur, integrum omninò repertum eſt, adeò vt nec pili quidam albicantes ſuperciliorum illi defuerint. Hæc autem omnia, quæ de odore & corporis integritate dicta ſunt, præter publicam famam, multi teſtes omni exceptione maiores probant, & inter alios vnus de Societate Ieſu de viſu teſtatur. Multa miracula tam in vita quam in morte edidit, ita vt in proceſſu & informatione tranſmiſſa legantur ferè centum triginta, & probentur; ſed pauca quædam viſum eſt Dominis meis Collegis ſeligere, eaque mihi hodierno die narranda dederunt; quorum primum eſt.

Fuit in oppido de Duron iuuenis quædam Catharina vocata, quæ cum ingentem paralyſim pateretur, & ſurda etiam euaſiſſet, & muta, nouem diebus vigilias in ſacello beati Didaci ducẽs, dum manu eiuſdem beati tangeretur, ſubito ceſſauit ſurditas, loquela reſtituta, & membra paralytica diſtenſa ſunt, liberaque, & ſana omnino viſa eſt. Quæ omnia per tres teſtes, præter principalis dictum probantur, qui examinati fuerunt ritè & rectè coram Vicario Archiepiſcopi Toletani: quorum primus eſt Ioannes de Pignaluer Guardianus, ſecundus Ioannes de Toloſa, tertius Frater Ioannes de Medina.

Didacus quidam de Lorca, iuuenis viginti fere anno-

annorum, qui permultos annos ſpiritu immundo detinebatur, ita vt aliquando ſepties in die illum corriperet, & ad terram illum illidens, veluti mortuum relinquebat, cum ſe beato Didaco commendaſſet, & in eius capella vigilaſſet, omninò liberatus fuit. Quod plenè probatur per duos teſtes, quorum primus eſt ipſemet patiens, qui per extenſum, & magna cum ædificatione omnia narrat. ſecundus qui hæc omnia comprobat ęſt Frater Ioannes de Pignaluer Guardianus.

Catharina Garzia vxor nobilis viri Bartholomæi Sanches, cum parturiens in maximo vitæ periculo verſaretur, iamque morti proximam ſe crederet, parte habitus ſibi huius Beati ſuperimpoſita fœtum emiſit, ſed mortuum; & cum ita per quatuor horas puella quam ædiderat, ſtetiſſet mortua, eius ſocrus, & maritus illam beato Didaco commendarunt, vt eius precibus vitam puellulæ à Deo impetrarent, ſicut factum eſt: nam illam viuam matri ſuæ reddiderunt, baptizataque fuit, & Maria vocata, & per multos annos vixit. Quæ omnia probantur præter dictum principalis per tres teſtes; quorum primus eſt Maria Garzia ſocrus: ſecundus, Bartholomæus Sanches eius maritus, qui ambo teſtes oculati: tertius Frater Ioannes de Pignaluer.

Et Domina Maria de la Penuela, quæ tam horrenda & deformi paralyſi fuit affecta cum multis alijs grauiſſimis infirmitatibus, vt neminem ei ſimilem Medici ſe vidiſſe atteſtarentur, mirabili modo ſanata etiam apud ſepulchrum beati Didaci eſt, cuius beneficij memor virginitatem ſuam Deo

Deo vouit in monaſterio S. Ioannis de pœnitentia vocato, vbi ſanctiſſimam vitam duxit. Hoc miraculum de Domina Maria de la Penuela probatur per octoginta ferè teſtes omnes conteſtes vel de viſu, vel de fama, qui ritè, & rectè examinati fuerunt.

Et denique cum Carolus Princeps Hiſpaniarum Anno 1562. Compluti ex grauiſſimo caſu grauiter ægrotaret, nec vlla remedia illi profuiſſent, ſed ſemper in deterius rueret, & omni humano auxilio (ſic Medici teſtantur) ac plenè probatur, deſtitutus eſſet, eadem illa hora, qua Medici illum moriturum prædixerant, melius habere cœpit, & intra paucas horas interceſſione huius Beati ſanatus eſt. Hæc omnia optimè probant Medicorum illum curantium depoſitiones, necnon patris Mantij eius Confeſſoris; multi alij inſignes & omni exceptione maiores teſtes, præter ipſiúſmet Principis & Regis dictum, qui apertè ſe per interceſſionem huius beati viri à Deo ſanitatem recuperaſſe & verbis & ſcriptis pluries teſtati ſunt.

Quare Hiſpaniarum Rex cum vitam præfati Caroli ſui Primogeniti à Deo ſe per interceſſionem & merita beati Didaci recuperaſſe cognouiſſet, ſicut dictum eſt, procurauit, & hodie ſupplicat, vt ad laudem omnipotentis Dei, totius regni conſolationem, augmentum Catholicæ fidei inter Sanctos referatur.

Præter hæc omnia, quæ retuli, quod mirum in modum Reuerédiſſimos Collegas meos ædificauit, & in ſententiam, quam modo dicam concorditer adduxit, fuit, quod per centum & viginti tres

annos

annos ab obitu beati Didaci, durat tanta erga illum totius illius gentis deuotio, tam frequenter illius opem apud Deum implorant, tot vigiliæ, tot sacrificia in eius cappella celebrantur, tot donaria illustrissima soluendi voti causa in ea ponuntur, vt certè firmiter credendum sit, non passurum fuisse Deum opt. max. vt per tot annos, qui memoriam hominum excedunt, gens illa Hispana deuotissima, & de Christiana religione optimè merita, Clerus, ac Prælati insigni pietate & doctrina præditi, sic essent decepti, ac delusi.

Pater Beatissime, sanctitatem vitæ beati Patris Didaci, fidei puritatem & integritatem, egregias virtutes, præclara & insignia miracula optimè probata inuenimus: Quare vnanimes in hanc sententiam venimus, Sanctitatem vestram ad vlteriora procedere, atque hunc beatum Virum, quæ sua est feruens deuotio, in Sanctorum numerum referre merito posse. Nos tamen omnia correctioni, & iudicio Sanctitatis Vestræ, & Sanctæ huius Sedis subijcimus.

Non dubito Beatissime Pater, me in multis in hac narratione defecisse: supplebunt optimè Reuerendissimi Domini mei Collegæ. Mihi Sanctitas Vestra ignoscat, obsecro, si tantæ prouinciæ tam humeris meis impari, vt debui, atque desideraui satisfacere non potui.

POM-

POMPEI ARIGONII CONSISTORIALIS ET REGIS CAtholici Aduocati

Oratio de vita & miraculis B. Fratris Didaci, qua Regis nomine B. Didacus canonizari postulatur, habita Romæ in Consistorio publico, Die xxv Iunij, Anno M. D. LXXXVIII.



VM multis alijs in rebus Philippus Hispaniarum Rex summā in se Dei beneficentiā agnoscit, tum inter præcipuos Regni thesauros, diuino sibi beneficio tributos æstimat, in sua ditione viros egregios extitisse, qui cælestem in terris viuendi rationem ingressi, sibi quidem ad cælum aditum aperuerunt, cæteros autem sua apud Deum gratia suoq; patrocinio tuentur. Quamuis enim qui humanas hasce curas exuunt, Deo prorsus addicti, nō vnam gentem, aut alteram solum diligant, sed diuini instar numinis, cuius spiritu ducūtur, vniuersum genus humanum suo amore ac beneuolentia complectantur: tamē proximi cuiusque maior est caritas, ac beatarū mentiū benefaciendi voluntas ad omnes, beneficia ad vtentes pertinent: quos ex propinquis frequentiores esse, quam ex alienis necesse est. Merito igitur pius, vereq; Catholicus Hispaniarū Rex B. Didaco in sua ditione orto præ cæteris gloriatur; cuius & in popularibus opē expertus est, & in filio primogenito iam à Medicis omnibus destituto, quemadmodū suo loco dicemus.

De huius

De huius ego vitæ ſanctitate, varijſque miraculis, tuo Pater ſancte, Regiſque iuſſu hodie verba facturus, illud in primis oro, ne ex mea tenuitate ſanctiſſimi Viri virtutes æſtimentur: neu mihi conatus, cui me imparem fateor, audaciæ tribuatur: ſed mea potius in re tam ardua voluntas atque alacritas commendetur, imbecillitas, parendique neceſſitas excuſetur. Nam diuina mortali cuiquam aſſequi nefas. nec tamen quia de diuinis dignè dicere nequeas, idcircò nihil omnino dicendum: aut quia nulla illis oratio ſufficiat, omnis omnino oratio deneganda. Igitur vitam eius & miranda, non omnia ſed pauca de multis, quam breuiſſimè, ſimul & veriſiſſimè dicam. nam ſingula recenſentem dies deficiat.

Et ex his, quæ dicētur ſatis apertè liquebit Beatum hunc virum in Sāctorum numerum referendum. Natus eſt beatus Didacus in Prouincia Bætica, in oppido ſancti Nicolai ditionis Hiſpalenſis, honeſtis parentibus & Chriſtianis, quales fuiſſe par eſt, à quibus tantus futurus vir ad pietatem informaretur. Qui verò dies eius natalis fuerit, aut quo menſe, quóue anno in lucem æditus, haud ſatis compertum habeo ex ijs, quæ vidimus litterarum monumētis. Sed quantum ex eiſdem coniectura aſſequi licet, natum eſſe credibile eſt, paulo ante Quadringenteſimū ſuprà milleſimum annum à Chriſto nato. Nam cum ad multam ſenectutē vixerit, & anno Iubilæi Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo in Vrbem venerit, ac duodecim poſt annis in cælum migrauerit, neceſſe eſt natiuitatem eius incidiſſe in ea tempora,

quæ

æ ſupra memoraui. Cum primæua autem ſape-
cœpit, humana omnia diuino cultui poſtha-
iit. Itaque ne rerum terreſtrium cura à cæleſti-
is contemplandis auocaretur, continuò ſe ab
eunte adoleſcentia in ſolitudinem, hoc eſt, in li-
ertatem vindicauit: atque Eremum patriæ pro-
inquam coluit, ſacerdote quodam ieiuniorum,
igiliarum, continentiæ, atque innocentiæ teſte
c ſocio. Ibi Dei diuinorumque meditatione ani-
num, corpus eleemoſynis ſuſtentabat: dumque
Deo corde aut ore gratias ageret, interim manus
operi intentæ haud quaquam otio langueſcebant:
ſed varia è iunipero vaſcula, ſalina, coclearia con-
ficiebat, eaque largiebatur ijs qui victui neceſſaria
ſuppeditabant. ſi quid autem præterea dare vel-
lent, id omnino recuſabat. Tantus in eius mori-
bus elucebat virtutum omnium conſenſus, vt om-
nium in ſe oculos raperet, omnes excitaret in ad-
mirationem ſui. Radix autem virtutum omnium,
& quaſi fundamentum humilitas & ſui contem-
ptio, quæque eam ſequitur aliorum hominum ca-
ritas quo nullum aptius vinculum humanæ ſocie-
tatis: nam qui ſeipſum deſpicit, alios ſuſpicit, is
nunquam ſibi plus ſumet quàm cæteris, itaq; aut
iuſtitiam adeptus iam eſt, aut iuſtitiæ valdè pro-
pinquus: humilitas in eo tanta erat, vt omnes ho-
mines ſibi præferret, inſeruire omnibus cuperet,
ſenes, iuuenes conſilio atque auxilio iuuaret: ca-
ritatem autem haud facilè cogitatione aſſequi, ne
dum eloqui quiſquam poſſit. Harum virtutum
fama cum vicinas vrbes impleſſet, repentè ab E-
remo diſceſſit, & ſe ad conuentum de Arrixafa

ordinis sancti Francisci à Corduba non longè distantem contulit, seque in illorum ordinem admitti postulat, quos vulgo Obseruantes vocant, inde ad Monasterium Compluten. eiusdem ordinis, quod est ad ædem sanctæ Mariæ Iesu præfectorum iussis obtemperans se transfert. Hic latior humilitatis campus, vberiorque materia virtutum omnium: nemo constantius atque hilarius Religionis illius iugum tulit: nemo exactius omnia illius Regulæ præscripta seruauit: nemo acrius carnis stimulos retudit: nemo eam ieiuniis ac vigiliis, flagellisque fortius macerauit, vtq; ingenitos impetus reprimeret, gelidam interdum hyemali tempore aquam ingredi non dubitauit, tam rigida vtebatur castigatione corporis, à capite ad talos vsque sese flagellis lacerans, vt nemo humana illam virtute ferri posse putaret. Fortunatas aliquando Insulas petijt, quas Canarias appellant: ibi innumerabiles Canarienses ad Christianam Religionem, verumque Dei cultum traduxit, in his Ioannem Alphonsum quendam, qui eò infidelis atque Idolorum cultor è magna Canaria venerat, is deinde duos filios beato Didaco instruendos, & vera pietate imbuendos tradidit; in magnam indè Canariam profectus, vt incolas ad veram Religionem traheret; magnas ibi Christianæ Religionis propagandæ causa persecutiones pertulit; magno enim studio martyrij subeundi tenebatur, nisi illum comites à proposito auertissent, qui vereri se dicerent, ne captiuj à Canariensibus detinerentur: horum caritas beatum Didacum ab eo consilio retraxit. Quodq; admirationem auget, hæc omnia per-

agebat

agebat nulla excultus doctrina, nullis litterarũ studiis eruditus: erat enim illitteratus, quam ob causam nullis vnquam sacris ordinibus initiatus est, sed (vt vocant) Laicus per omnem ætatem mansit. Quin etiam Conchensi cuidam amico bonarum artium peritissimo, aliisque non paucis quæstiones difficillimas de rebus non solum ad salutẽ animæ, sed etiam ad litterarum studia spectantibus enodabat: quarum illi solutionem neque Salamanticæ neque Lutetiæ, neque aliis in Academiis, in quibus antea studiis operam dederant, inuenire potuerãt. Cùm autem omnes omnium consensu virtutibus omnibus anteiret, præcipuè in eo pauperum caritas enitebat, his omnia largiebatur: quicquid vndiquè ab amicis, à cõtubernalibus, à notis, ab ignotis accipere poterat, id omne in vsus pauperum erogabat: cumq; quid illis daret non habebat, vna cum illis eorum miseriam deplorabat, multisque lacrymis animi sui dolorem testabatur. Mendicorum vlcera suis manibus abstergebat. Romam venit, vt antè dictum est anno Iubilæi: diuertitque in Monasterium Sancti Frãcisci, quod est ad ædem Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Aracæli. ingens ibi ægrotorum & languentium numerus: magna insuper annonæ caritas & penuria rerum omnium Vrbem inuaserat. Didacus ægrotorum cura suscepta [illegible]nta illis caritate ac diligentia ministrabat, tanque affluentia rerum omnium, vt omnes in primisque Monasterii præfectus mirarentur, vndè in tantis aliorum angustiis tanta rerum copia peteret: omnesque opem illam Beati Didaci ad Deum gratiæ acceptam ferebant: omnes

Didacum vt virum ſanctum, Deoque gratiſſimum mirabantur. Complutum tandem redijt, nam ſingulas eius actiones perſequi nimis longum, & propè infinitum eſſet, ibique deindè ad duodecim aut tredecim annos vixit tanta cum humilitate, atque in Superiores obedientia, tanta præceptorum obſeruantia, tanta vitæ auſteritate, tanto exemplo, vt ab omnibus exiſtimatus fuerit obſeruatione mandatorum Dei cæteris omnibus qui vlli vnquam Religioni ſe addixerint, præſtitiſſe. In morbum incidit, qui & illi mortalis huius vitæ finem attulit, atque ad æternam illam ac perennem aditum patefecit. Eius morbi moleſtias tanta conſtantia tulit, vt nullum vnquam doloris indicium dederit. Suauiter aſtantes alloqui, ſolari, veniam offenſionum petere non deſtitit, donec vtroque brâchio ſublato, quorum alterum magna vi morbi, quod apoſtema dicitur, immobile fuerat, Crucem amplexus atque exoſculatus in illa Hymni verba: Dulce lignum, dulces clauos, & quæ ſequuntur, animam Deo reddidit anno poſt Chriſtum natum Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio. Mortuo Didaco neq; artus obriguerunt, & multis menſibus flexibiles manſerunt, vt viuis ſolent. Odoris etiam ſuauiſſimi fragrantia cubiculum oppleuit. Hodieque is odor à nonnullis plerunque ſentitur, quanquam ſine vllis illum odoribus aut aromatibus ſepultú fuiſſe conſtat: atque ad eius mortui famam ingens populorum concurſus eſt factus. Scio ego Pater Beatiſſimè de rebus mirabilibus dicenti plerunq; faciles eſſe audientium aures, & alioquin à tædio narra-

onis defendit officij necessitas. Veruntamē haud
uaquam concessa mihi facultate, nec audientium
enignitate intemperantius abutar. Sed ex ingen-
i miraculorum copia, quibus diuinus ille vir in
vita claruit, vnum aut alterum breuiter attingam:
temque nonnulla de cæteris, quæ post mortem e-
uenere. Quid autem mirabilius referam, quam
quod è Monasterio quodam, quod Hispani Cer-
raie nominant, Hispalim profectus, mulieri cui-
dam filiolum in furno latitantem, ibique sopo-
re correptum, accenso dein furno atque vndique
conflagrante, illæsum à flamma seruauit. Erat
miseræ cuidam mulierculæ septennis filius; aut
paulò maior, qui sæpius eius iram metuens aufu-
gere solebat. Is cum die quodam aufugisset, non
ante diem Dominicum domum redijt: tum veri-
tus ne à matre vapularet, in furno sese abdidit:
nam mater pane coquendo seque & puerulum,
& reliquam familiam sustentabat. Ibi puerum
iacere mater ignorans furnum vesperi lignis op-
plet, vt summo mane postridiè incenderet, ac fer-
uefaceret. Tum sedula mulier, antequam luces-
ceret, ignem lignis admouet, atque arida sarmen-
ta tanto impetu flammam corripiunt, vt simul &
puer excitus clamare inciperet, & repente fur-
nus flammis conflagraret. Quid in tam acerbo
filij casu mater faceret? quod illi auxilium ferre-
tur? omni humana ope destituta scissa coma, ge-
mitu atque vlulatibus domum ac viciniam om-
nem complet, res ad Beati Didaci aures peruenit.
ille obuiam factus mulierem solatur, ac bono ani-
mo esse iubet. hortatur vt ad ædem maiorem Bea-

tæ Virginis accedat, eique se toto ex animo commendet. Non secus atque oraculo monita, relicto furno, ac filio ad maiorem Dei genitricis ædem aduolat. Quid verbis opus est? continuò Beatus Didacus, quique illi comes aderat, qui & huius rei testimonium perhibuit, in furno illæsum puerum combustis lignis inuenerunt, adductumque ad ædem vbi mater orabat, Canonici albis vestibus in honorem Beatæ Virginis induerunt. Hoc ille miraculo cum Hispalenses omnes obstupefecisset, incredibile dictu est, quam ipse sibi solus humilior atque abiectior videretur.

Ex eodem Monasterio cùm aliquandò eodem comite ad oppidum Sanlucar de Barameda, absque vllo commeatu profectus esset, ipseque & comes longo itinere defessi in vicum quendam, quem Palatios vulgo dictitant, diuertissent, vt indè sibi ad victum necessaria corrogarent, neque ibi quidquam opis inuenissent, quo famem sedarent, longumque adhuc iter superesset, comitem hortatus vt in Deo spem haberet, alacriter viæ reliquum obibat, varias Deo laudes concinens. Cumque in planiciem quandam amplam peruenissent, animaduertunt in via propè herbam, quæ Marisma dicitur, mantile quoddam linteum eximio candore, in eoque panem candidum ac duos pisces recens coctos, & malum medicum & insuper vini vasculum. Id illi quanquam diuinitus oblatum rati, non confestim arripuerunt: sed vndequaque circumspectantes, an quempiam viderent, cuius illa cibaria esse possent (erat autem planicies maxima, vt non minus decem millibus passuum conspici

pici vndequaque posset) vbi neminem viderunt, paratis sibi dapibus refecti, Deo gratias egerunt, quodque superfuit, ibidem reliquerunt. Ac Beatus Didacus comiti gratulatus, quod sibi Deus necessaria suppeditasset, non secus atque filiis Israel in deserto; tantus in eo fidei candor, & quædam vt ita dixerim, simplicitas inerat, vt nihil supra. Itaque varias ægrotantium ac languentium species ad sanctitatis eius famam vndique confluentium digito lampadis oleo inuncto, ac signo Crucis facto sanabat. Hæc aliaque innumerabilia ille miracula viuens ædidit. Sed & aliquid referamus ex iis, quæ summa omnium admiratione mortem eius consecuta sunt, ac potius quotidiè consequuntur.

Catharina Martinez Antonij filia ex oppido de Duron oriunda, quæ cum muta surdaque esset, ac semper paralysi laborasset, ad corpus beati Didaci delata, ac signo Crucis eius manu signata, repente conualuit: nec tantum suis pedibus incessit, sed etiam Vicario, præeunte hæc verba protulit, *Laus Christo Iesu*, semperque deinceps absque vllo impedimento locuta est.

Iuuenis alius xx. annorum, cum spiritu quodam immundo detineretur, ita vt sæpius quotidiè in terram decidés, ad puteos rapi se diceret, adductus ad Sacellum, in quo beati Didaci corpus asseruatur, ibique dies aliquot moratus, sanitatem pristinam recuperauit.

Maria Garcia, cuius nurui Catharinæ nomine certa ex partu pernicies aderat, propterea quod in-

fans in vtero transversus vnum tantum pedem extulerat, in tanto puerperæ discrimine beati Didaci meminit, allatumq; vestis fragmentum qua Beatus ille vir amictus fuerat, & paululum terræ qua corpus eius tegebatur, nurui superimposuit. ita, quæ diem totum in tanto periculo manserat, continuò partum edidit mortuum quidem, sed ipsa mortis periculo liberata. Tum socrus ex tanto miraculo etiam partui vitam restitui præ fidei feruore à Deo petere ausa, vouẽs, si id impetrasset, in sacello B. Didaci se nouem diebus euigilaturam, voti compos facta, infantem, quæ per quatuor horas mortua fuerat cum reuixisset, in sacro Baptismatis lauacro Mariam de suo nomine dici voluit.

Aluarus de Gaa Lusitanus Ancillæ suæ misericordia motus, quæ filiam paucis antè horis mortuam miserabilem in modum lugebat, eam hortatur, vt puellam ad corpus beati Didaci deferret, atque à Deo peteret vt ob eius merita vitam filiæ restitueret. Ancilla cum domini monitis paruisset, quam puellam exanimem domo extulerat, eam viuentem ac validam domum reduxit.

Quamuis autem mortuos in vitam reuocare inter præcipua Dei miracula censeatur, haud scio, an maius etiam censendum sit quod virgini cuidam Hispanæ, cui Maria de Pinnuela nomen erat, non vnam tantum vt aliis, sed multiplicem vitam reddidit, tot illa morbis grauissimis laborabat, tam intolerandis febribus vexabatur, tam acribus atque assiduis capitis doloribus torquebatur, vt (si ita dici fas est (multas quotidiè mortes experiretur. adhæc humero, crure, tibia debilitata multa-

rum

rum corporis partium vſum amiſerat. Tot modis afflictam virginem cupido inceſsit, quando nulla iam humana ope ſanari ſe poſſe ſperabat, ad beati Didaci corpus adeundi, ab eoque auxilium implorandi. Ita vti petierat eo delata, quid memorem quæ puella miranda viderit atque audierit? Ea nec referre neceſſe habeo, & certis extant grauiſsimorum hominum teſtata monimentis. In ſumma quæ per vndecim menſes variis cruciatibus exagitata fuerat, vbi ad beatum hunc virum acceſsit, & morbum toto corpore depelli, & ſuum membris omnibus vigorem reſtitui ſenſit, ac ſuis pedibus deinceps inceſsit, Deum laudans, ingentesque beato Didaco gratias agens, cuius precibus ac meritis à Deo ſalutem impetraſſet: atque hoc noſtra memoria factum eſt anno humanæ ſalutis Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto.

Huic miraculo recentius aliud ſubijciam, quod plerique meminiſtis: factum eſt enim anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo.

Sereniſsimus Hiſpaniarum Princeps Carolus olim adoleſcens, Compluti, cum in Regia luderet è ſcalis quibuſdam ſupinus cecidit, ac tam grauiter offendit, vt ingens in capite vulnus acciperet. cum & lethale vulnus omnibus videretur, & de ſalute tanti Pincipis ageretur, exiſtimandum eſt humaniſſimum Regem, ac liberorum amantiſſimum nihil intentatum reliquiſſe, quod filio primogenito in tanto diſcrimine adiumento eſſe poſſet. Medicos vndique accerſit: remedia quæcunque adhiberi poſſunt humanitus, adhibentur: omnia tamen vulneri cedunt: itaque deſperata filij


salute. Rex secessit: sepulturæ locus destinatur: panni lugubres: funeralia exequiæ tanto Principe dignæ magna cum cura parantur. Postremo tamen, astantium quorundam animus ad Beatum Didacum se conuertit, postulatumque est vt eius corpus in cubiculum Principis deferretur, & prope eum locaretur. Postquam id factum est, paucarum horarum spatio Princeps meliusculè se habere, ac potius reuiuiscere cœpit: vt omnibus liquidò constaret vitam ei non humanitus, sed B. Didaci meritò diuinitus restitutam.

Igitur Beatissime Pater, qui ab ineunte ætate sese ab humanis curis omnibus abdicauit, qui vitam suam omnem Deo dicauit, qui cælestem in terris viuendi rationem coluit, qui caritate in homines, in Deum pietate cæteris omnibus præstitit, qui diuinas leges omnes adimpleuit, qui susceptæ Religionis iugum non exactè solum, verum etiam iucundè tulit, qui præscripta eius omnia ac mandata seruauit, cuius vitæ sanctitatem & ex actionibus eius nouimus, & ex innumeris miraculis comprobari quotidiè videmus, ex quibus ego tametsi nonnulla recensui, vix tamen eorum millesimam partem attigi, quem Deus acceptissimum sibi æterna beatitudine perfrui non obscuris indicijs, sed signis certissimis clarissimisq; monstrauit, quem à Sanctissimis Patribus maioribus tuis Pio IIII. Pio V. Gregorio XIII. Pontificibus Maximis, Hispaniarum Rex ac potius Hispania tota petijt in Sanctorum numerum referri; quem referendum sacri Palatij causarum Auditores causa ab eisdem Pontificibus delegata viri

sapien-

ſapientiſſimi, ac diuini humaniq́ue iuris peritiſſimi cenſuerunt. quem etiam ex hoc ſupremo Chriſtiani orbis Concilio delecti Patres eadem cauſa diu multumq́ue cognita iiſdẽ honoribus dignum iudicarunt. Eundem idem Philippus Hiſpaniarum Rex non minus re quam cognomento Catholicus Beati Didaci, tuæq́ue gloriæ ſtudioſiſſimus, enixè rogat, vt Sanctorum numero tandem adſcribi declares, vt quorum in cælo conſuetudine fruitur, eorundem numero adſcriptum in terris Eccleſia debitis honoribus ac laudibus proſequatur. Hoc ſi ab vllo ei Pontifice debebatur, abs te Pater Sancte præcipuè debetur, qui & eandem Regulam coluiſti, & eius vitæ imitatione ad iſtud humanarum rerum faſtigium aſcendiſti. Hoc abs te ſuo quodammodò iure poſtulant pij viri omnes, qui eiuſdem Regulæ contubernio vtuntur, ne huiuſmodi quaſi ſtellarum lumini, quæ in ſancta iſta domo emicant, ignoratione hominum, ác tenebris officiatur. Hoc abs te Toletana Eccleſia, hoc Complutenſis petit Vniuerſitas, quæ tali Alumno merito gloriantur, hoc denique Hiſpani omnes optimum ac ſapientiſſimum Regem ſecuti ſummis precibus obteſtantur: tibiq́ue atque huius Sãctæ ſedi perpetuam beneficij memoriam & gratitudinem pollicentur.

ANTO-



ANTONII BVCCAPADVLI

Secretarij Apostolici, Sanctissimi D. N. Sixti V. nomine, Responsio.



DIVTVRNAM Philippi Regis Catholici postulationem de Beato Didaco, viro & vitæ sanctitate, & miraculorũ copia, & magnitudine clarissimo in Sanctorum catalogum adscribendo dignissimam iudicat Sanctissimus Dominus noster perpetua Regis ipsius pietate & gloria. Qui enim curam, cogitationemque omnem habet locatam & fixam in Catholica religione tuenda & propaganda, qui & semper antea, & hoc maximè tẽpore summis opibus contendit, vt deleta hæreticorum perfidia fides Catholica in veterem dignitatem atque amplitudinem vindicetur; cuius omnia tum belli, tum pacis studia ad Dei gloriam referuntur, inque ea consumuntur; hunc censet Sanctissimus Dominus noster conuenire, de augenda etiam quodammodò cælestium gloria cogitare & postulare, (si ita videatur Romano Pontifici,

fici, cuius ea potestas, atque actio propria est) vt ei Viro, cui nihil fuisset in hac vita Deo carius, quiq; ipse Deo carissimus fuisset; his honos tribuatur, qui possit maximus adhiberi, vt Pontificis scilicet ipsius decreto declaretur, Sanctus esse ex eorum numero, quos Ecclesia quotidianis honoribus veneratur. Et beati quidem illius vita, ac miracula aliquot de multis nunc sunt diserta & graui oratione exposita. Agit autem Sanctissimus Dominus noster Deo gratias immortales, quod tanta cum sui nominis gloria, cum Ecclesiæ lætitia, cum piorum fructu cumulet seruos suos summis virtutibus, velitq; illos summa apud omnes in veneratione, atque admiratione esse. Laudatur Deus in sanctis suis, ac mirabilis prædicatur: proponitur auxilium ad implorandum; exemplum ad imitandum; segnities nostra ad accusandum, dum agnoscimus tanto nos illis inferiores esse, tamq; longè ab illorum perfectione abesse. Sed facit rei magnitudo vt censeat Sanctissimus Dominus noster de Regis postulatione esse etiam atque etiam cogitandum, cumque suis fratribus deliberandum. Hortatur igitur eos, monetque, vt de actis Beati Didaci, quę confecta sunt, quã diligentissimè considerent: quodq; ipse iam pridem facit, Deum orent, è cuius vultu

de-

debent hominis iudicia prodire, vt oſtendat quid facto maximè opus ſit, actionemque hanc omnium grauiſſimam totam dirigat ad ſuam gloriam, ſanctæque Eccleſiæ ſuæ fructum, atque amplitudinem.

FINIS.

